



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 1. De Ultimo Fine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

TRACTATUS DE BEATITUDINE, ET ACTIBUS HUMANIS.

1. **B**eatitudo, quæ finis est rationalis naturæ, cum est habita, dicitur finis possessus; cum est deperdita, dicitur finis amissus; cum autem nondum habetur; dicitur finis vel obtinendus, si media ad illius consecutionem necessaria apponantur; vel amittendus, si ejusmodi media omittantur. Omnibus inquit esse à natura, atque adeo ab Auctore naturæ, ut beatitudinem, felicemque vivendi rationem expectant, saltem in delibere, atque in communi sumptam, juxta dicenda num. 12. & 61. & 171. Docent tanquam veritatem lumine naturæ notam non modò Ecclesiæ Patres, & Sacri Scriptores, verum & profani Scriptores, & Philosophi; cujus rei indicium est, quod primò de Divinitate observat Cicero, antiquis scilicet in more positum semper fuisse, ut rebus omnibus agendis hæc verba præmitterent, quod *felix faustumque sit*. Quod satis ostendit Sen. lib. de Vita Beat. c. 1. dicens: *Vive-*

re omnes beatè volunt, sed ad prævidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. At multò clarius hanc veritatem dat Augustin. Tom. 3. lib. 13. de Trin. cap. 3. Ubi, cum retulisset, Mimum quendam auditoribus suis promississe, se iis in theatro dicturum, quid in animo haberent: dumque suspensos nonnihil eos tenuisset, tandem dixisse: *Vili vultis emere, & carè vendere. Verumtamen, ait Augustinus. j. dixisset; omnes Beati esse vultis, miseri esse non vultis: dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Quomodo autem ista se habeant inter tot gentium errores, inter tot posibles status rationalis naturæ, difficillima est controversia in his præliminaribus disputationibus decidenda. Unde sit

* * *

DISPUTATIO I. DE ULTIMO FINE.

2. **F**inis ex Aristotele 2. Physicorum cap. 9. text. 8 1. est, cujus gratia cætera fiunt. Quod non ita intelligendum est, ut contrahatur ad Deum, de quo tunc Philosophus non agebat: sed ut contrahatur ad fines à creatura obtinendos, de quibus ibi tractat. Deus enim absque eo, quod quidquam efficiat, est finis sui, seque plenè, & integrè possidet. Neque respectu intellectus, aut voluntatis divinæ, quibus per identitatem se possidet, ut constabit num. 6. dari potest objectum physicè, sed solum intentionaliter motivum, ut diximus cum omnibus Theologis à num. 2 7 8. De Deo. Ut enim Deus finem respiciat, satis est, quod ejus gratia aliquid intendat, sive consecutio rei intentæ habeatur per productionem, veluti, quando ex fine salutis confertur auxilia creaturis; sive habeatur per identitatem, veluti, quando ex fine gloriæ suæ se cognoscit, & amat. Exinde D. Thomas 1. 2. quæst. 3. art. 1. postquam in corp. articuli dixit: *Ultimus autem finis vocatur beatitudo.*

Statim ad primum subjungit: *Deus est beatitudo per essentiam suam; non enim per adaptionem, aut participationem alicujus alterius Beatus est, sed per essentiam suam.* Neque ita intelligendus est Philosophus, ut omnia, quæ ab operante creato in quavis ordinata serie fiunt, debeant fieri propter eum finem. Si enim finis non sit ultimus, possunt aliqua fieri propter ipsum, & ipse propter aliud: v. g. si intendatur medicina ad sanitatem, & sanitas ad obtinendam dignitatem, quin intentio operantis ultra progrediat; tunc sanitas est finis non ultimus, propter quem fiunt cætera conducentia ad sanitatem, sive in ea serie contenta; dignitas verò est finis ultimus, propter quem intendebantur ea, quæ conducebant ad sanitatem, & ipsa sanitas; ac proinde quæcumque in utraque serie facta sunt. Quod autem ista sit mens Philosophi, constabit statim num. sequenti.

* * *

SECTIO I.

De Prærequisitis ad Controversiam.

3. Supp. 1. Duplicem esse finem sub data definitione Philosophi comprehensum; alterum quidem ultimum, & alterum non ultimum. Ratio est, quia Aristoteles ad exponendum finem ultimum 1. Ethic. cap. 2. ait: *Finis aliquis est, quem propter ipsum, & propter quem alia volumus; neque omnia ob aliud eligimus.* Si enim adæquatus iste conceptus requireretur ad quemcumque propriè finem sub Philosophi definitione comprehensum, & non solum ad finem ultimum, non rectè dixisset Aristoteles, *finis aliquis est*, sed debuisset absolute dicere *finis est*, demptà illà particulà *aliquis*. Quapropter quando 2. Metaph. cap. 2. demonstrat negari rationem finis à concedente infinitos fines subordinatos, hoc solum ostendit, quia ex doctrina D. Thomæ quæst. 1. art. 4. in corp. *Finis non ultimus dicit relationem ad ultimum: atque adeo cum deficiente ultimo, deficeret relatio ad ultimum, exinde deficeret finis non ultimus.* Quando ergo Aristoteles requirit ad finem, quòd non fiat propter aliud, adhuc in quavis ordinata serie præcedente eum finem, loquitur de fine ultimo, quem beatitudinem, seu felicitatem appellat; secus de non ultimo, de quo Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Verba enim Scripturæ juxta regulam interpretandi Scripturam desumptam ab omnibus Theologis ex Augustino lib. 1. de Doctrina Christi. Et lib. 3. à cap. 15. exponenda sunt in proprio sensu, quando inconueniens non adest in contrarium. Cum autem nullum sit inconueniens, quòd Apostolus intelligatur de fine proprio non ultimo, non est Theologicum ea in sensu alienativo, & improprio usurpare. Etenim si aliquid è duobus relinquendum foret, potius auctoritas Aristotelis, quàm regula interpretandi Scripturas foret relinquenda. In præsentem autem utrumque; facile componitur, admittendò duplicem propriè finem, alterum quidem ultimum, & alterum non ultimum; qua præmissa finis divisione expedite conciliantur omnia Scripturæ, & SS. Patrum testimonia, quorum aliqua de fine non ultimo, altera verò de fine ultimo loquuntur.
4. Supp. 2. Finem ultimum duplicem esse. Alterum quidem negativè, alterum verò positivè ultimum. Finis negativè ultimus est ille, cujus gratià media apponuntur: ille verò, licet ex intentione operantis non ordinetur ad aliud, ita tamen ab operante attingitur; ut non præferatur omnibus rebus aliis modo, quo se habet dignitas in exemplo dato num. 2. Et modo, quo se habet boni-

tas creata, quæ est objectum formale virtutum moralium. Exinde hujusmodi finis dici non debet absolute ultimus, cum nomine finis ultimati absolute dicti, per antonomasiam veniat apud Theologos solus Deus; qua de causa dicitur cum addito *ultimus negativè*. Quod quidem alii cum Esparza lib. 3. de act. hum. quæst. 2. explicant dicendò, esse objectum ultimum operis tantum, sed non operantis; eo quòd, licet actus intentionalis, quantumvis virtuosus, non possit habere aliam tendentiam ad ultimum finem, quam semel non habet, cum tendentia sit de ipsius essentia, nec possit essentiam mutare; at operans potest rectissime in sensu composito illius actus, elicere alterum, quo & ipsum operantem, & illum alium actum virtuosum rectissime ordinet ad ultimum finem.

Finis positivè ultimus est ille, cujus gratià cætera fiunt, aut apponuntur; & inluper appetitivè anteponitur, vel formaliter, vel saltem æquivalenter omnibus aliis rebus; ac proinde non solum dicitur ultimus finis operis, sed etiam operantis. Cæterum, si ejusmodi appetitatio proveniat solum ex errore intellectus, vel ex abusu voluntatis, conveniet rei prælatæ per accidens tantum ratio ultimi finis: si verò eadem prælatio fundetur in ipsa natura rei propter præminentiam bonitatis ejus comparatione cæterorum omnium, tunc rei prælatæ conveniet per se ratio ultimi finis. Quapropter, cum iste conceptus soli Deo convenire possit, exinde solus Deus est per se ultimus finis.

Supp. 3. Dari finem *qui*, finem *cui*, & finem *quo*. Finis *qui* est res illa, quæ ratione sui appetitur, ut habenda ab aliquo. Finis *cui* est ille, à quo ea res habenda est. Finis *quo* est habitio, seu ratio formalis habendi: v. g. si quis sibi intendit sanitatem, ipse intendens est finis *cui*, sanitas est finis *qui*, possessio, seu consecutio sanitatis est finis *quo*. Unde finis *cui* habet rationem subjecti, finis *qui* rationem formæ, finis *quo* rationem unionis. Quare, si isti tres fines in eandem entitatem conveniant absque ulla inter se distinctione, ille erit finis omnium præstantissimus, & præminens unicuique eorum finium seorsim sumpto, ut clarè apparet in Deo amante se, sibi & propter se. Idem dicitur de finibus *qui*, & *quo* identificatis in eadem entitate, ut apparet inter alia in visione beata, quæ est appetibilis non solum tanquam id, quo Deus possideretur, sed etiam tanquam id, quòd ratione sui perficit, & sanctificat subjectum; est enim ratione sui forma sanctificans, ut dicemus in tractatu de Gratia.

Supp. 4. Dupliciter sumi actus humanos. 1. Latè, & grammaticaliter pro actibus quibuslibet ab homine procedentibus, qua ratione actus omnes, quos homo operatur, modo

do etiam communi brutis, dicuntur humani, seu hominis, quia ab homine procedunt. 2. Strictè, & propriè, seu theologicè, modo, quo à Theologis cum D. Thoma accipiuntur in præfenti, nimirum pro viatoris actibus liberis procedentibus ab homine ex dominio suæ libertatis, & perfectæ rationis deliberatione proponentis, quod est consentaneum, aut non consentaneum naturæ ut rationali, sive homini, in quantum est homo; qua ratione procedunt imputabiles ad meritum, demeritum, vel saltem non demeritorii ex tendentia sua libera, si qui sint in individuo indifferentes, de quo postea. Illo in sensu D. Thomas 1. 2. art. 1. ait: *Actio- nes, que ab homine aguntur, illæ sola propriè dicuntur humane, quæ sunt propria hominis, in quantum est homo.* In hoc namque differt homo ab irrationalibus, quia est suorum actuum Dominus ex dominio, & electione suæ voluntatis cum plena rationis deliberatione illos eliciens; atque aded procedunt à toto homine, sive ab homine, in quantum est homo, nimirum non solum ab intellectu, neque solum à voluntate, sed ab intellectu dirigente, simulque à voluntate efficiente, & eligente, quod naturæ ut rationali consentaneum, vel non consentaneum agnoscit.

8. Ratio autem, cur actus indeliberati non dicantur propriè humani, bene verò actus deliberati, est, quia modus operandi ex dominio libertatis, & ex rationis deliberatione non convenit brutis. Quinimò runc aliquid propriè, & strictè dicitur alicujus, quando hic habet proprium, & strictum dominium illius: actus autem sui liberi taliter sunt hominis, ut Domini, ut solum sint sub ejus immediato dominio libertatis, nullumque aliud agens exerceat tale immediatum dominium, nisi homo: quo in sensu ita sunt propriè humani, ut non sint alterius agentis. Quam doctrinam tradit etiam D. Thomas in 2. dist. 39. q. 1. art. 2. in corp. dicens: *Homo habet dominium sui actus secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati competit.* Etenim, si aliquid agens tale haberet dominium, vel esset creatum, vel divinum. Non creatum; nam dum voluntas est libera, à nulla creatura cogi potest, ut hunc actum liberum præ altero eliciat. Non divinum, nam Deus, licet essentialiter sit Dominus dominio proprietatis tam hominis, & ejus potentiarum, quam omnium actionum, & modi eas operandi; & quamvis homo sine Deo concurrente, & potentiam conferente, nihil possit; at per voluntatem, qua vult hominem constituere liberum, præbet ei facultatem, ut ipse non ab alio, sed ab se ipso se liberè determinet, & ad quodcumque voluerit, porrigat manum.

9. Propter hanc igitur libertatem actus deliberati aliquo proprio, & stricto modo ita sunt hominis, nempe electivè, & determinativè, ut

sub hoc conceptu non sint ullius alterius. Insuper homo, in quantum est homo liberè agens, vel amplectitur consentanea naturæ ut rationali, vel dissentanea, vel præscindencia, aut indifferentia: quomodocumque autem se gerat, est Dominus suorum actuum, quibus complectitur bonum, malum, aut indifferens. Neque naturæ humanæ utpote finitæ, & ex suis intrinsicis potenti à recto deficere, sunt actus sui aliter ad laudem imputabiles: non enim est sicut Deus; qui ex natura sua determinatus est ad operandum semper rectè: qua de causa actus divini necessarii, & sunt naturæ rationali conformes, & Deo ratione perfectionis suæ naturæ imputabiles, ac proinde moraliter laudabiles, ut suo loco dicemus. Actus verò hominis non quidem ex intrinseca naturæ humanæ perfectione, sed ex dominio libertatis sunt homini imputabiles. Ac proinde actus hominis liberi propriè, & strictè dicuntur humani, sive hominis in quantum est homo.

Qua ratione actus indeliberati magis propriè dicuntur illius, qui hominem ad eos necessitat, sive sit Deus, sive Angelus bonus, aut malus, sive creatura alia, quam dicantur propriè hominis. Exinde cogitationes immittæ à dæmone, verba prolata, aut opera facta eo impellente, sine libero hominis consensu, potius dicuntur esse dæmonis, quam hominis; & sic de aliis causis. Actus autem humani alii sunt à voluntate immediatè, scilicet ab ea procedentes, alii à voluntate imperati: cujusmodi sunt actus aliarum potentiarum, quæ voluntatis imperio subduntur: vel quos ipsa voluntas ex aliorum actuum liberorum imperio elicit. Alii sunt profecturivi, & amplexivi, quibus objectum amat; alii averfivi, & fugæ, quibus detestatur, vel odiò habet, aut non vult objectum amplecti. Quicumque enim sint ejusmodi actus procedentes ab homine, in quantum est homo, sunt actus humani, ac proinde morales; nam ut habet D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 2. in corp. Idem sunt actus morales, & actus humani.

Quæstio autem non modica est inter Theologos, an omnes actus propriè humani ex intrinsicis suis dicant relationem, & qualem ad ultimum finem. Neque est quæstio de ultimo fine in communi sumpto, prout præscindit ab ultimo fine operationis; qui est ejus objectum formale, ultra quod actus non progreditur; & ab ultimo fine operantis, qui est summum bonum, quod ex ipso naturæ lumine, & discretionis rationis appetiari tenetur super omnia ex num. 4. In isto namque sensu idem esset ultimus finis, ac bonitas objecti formalis, propter quam actus amplectitur suum objectum: cum autem omnes appetant sibi bonum, neque voluntas unquam tendat amplexivè in objectum sub ratione mali, neque fugiat unquam malum, nisi ut non omitat bonum oppositum, exinde planè fit, omnes a-

Actus humanos esse propter ultimum finem in communi sumptum.

12. Quinimò, cum ultimus finis, & beatitudo pro eodem communiter accipiantur; in isto quippe sensu omnes appetunt naturaliter beatitudinem in communi acceptam; quamvis assignare in particulari, in quo stet vera beatitudo ex parte operantis, non habeatur ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis inventientis, quæ sit summum hominis bonum. Quod accurate prænotavit D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. dicens: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem secundum communem rationem, tamen, quæ d'feratur in beatitudinem talē, vel talem, non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare.* Et I. P. q. 5. art. 6. in corp. *Id autem, quod appetitur ut ultimum terminans totale motivum appetitūs, sicut quedam res, in quam propter se appetitūs tendit, vocatur honestum; quia honestum dicitur, quod per se desideratur. Id autem, quod terminat motum appetitūs, ut quies in re desiderata, est delectatio.*

13. Neque procedit difficultas de relatione ad ultimum finem actibus non propriè humanis, aut actibus etiam brutorum convenientem, sumpto sine ultimo vero, & per se in particulari pro Deo Summo Bono. Ratio est, quia actus propriè humani aliquo diverso modo videntur dirigi ad ultimum verum finem, quomodo actus non propriè humani, aut actus brutorum non diriguntur. Idque ex ipso naturæ lumine apparet evidens, & supponunt Theologi in præsentia, ut infra constabit. Actus autem non propriè humani, & actus brutorum referuntur ad ultimum finem, nempe Deum per essentialem connexionem cum illo: creatura enim quæcunque connectitur essentialiter cum Deo. Unde in alio genere relationis stare debet ea, quæ specialis est actui propriè humano. Rursus, quod Deus concursu simultaneo nobiscum concurrat ad eos actus propriè humanos producidos, referendò illos ad se ipsum tanquam ad ultimum finem, non est sufficiens discrimen ab actibus propriè non humanis; cum non minùs istos, quàm illos Deus ad se ipsum tanquam ad ultimum finem referat, ut diximus in tractatu de Deo à num. 773. & constat ex illo Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* His positis, sit

SECTIO II.

De ultimo fine, & relatione humanorum actuum ad ipsum.

14. Deum esse ultimum finem certum est apud Catholicos. Quomodo autè actus humani præ non humanis ad illum referantur, est controversia non modica. Prima sententia docet, omnes actus propriè humanos ideo referri ad ultimum finem; quia omnes fiunt propter Deum ultimum finem, saltem virtualiter, aut nterpre-

vativè. Ita plures antiqui Thomistæ apud Carleton disp. 83. sect. 1. aliq; etiam Thomistæ recentiores, quos sequitur Gonet disp. 1. art. 7. à num. 155. nec multùm distat Elparza lib. 3. de actibus human. quæst. 1. Secunda sententia docet, eam relationem stare in eo, quod fiant propter ultimum finem saltem participativè, id est, propter bonitatem ab ultimo sine participatam, & quæ absque ulla mixtione imperfectio- nis reperitur in ipso, in quo, ut ostendunt Theologi in Tractatu de Deo, & nos à num. 202. reperitur quæcunque perfectio depurata ab imperfectioe. Ita aliqui Recentiores judicantes hanc esse antiquorum doctrinam. Tertia sententia docet, hanc relationem non consistere in respectu purè physico, sed in respectu morali, quo actus propriè humani referuntur ad ultimum finem præ non humanis, ita S. Thomas, & antiqui Theologi.

Affero 1. cum omnibus Catholicis. Finis per se positivè ultimus hominis, est solus Deus O. M. Probat. 1. DEUS nunquam extra se, sed in se solo ultimo sistit, tanquam in centro sui amoris, sive consideretur ut finis qui, sive ut finis cui, sive ut finis quo: omnia enim sibi propter suam bonitatem, & gloriam amat; adhuc quando res producit ad extra, eas producens, quia se ipsum, & propter se sibi ultimo amat, ut constat ex num. 13. Insuper amor, quo se amat, est identificatus cum ipso Deo, ut constat à num. 803. De Deo, & supponimus hic cum omnibus Theologis: atque se sibi ultimo amandò est finis ultimus qui, & cui: & amandò se amore secum identificato est finis ultimus quo ex dictis num. 5. Ergo finis ultimus sui est solus DEUS O. M. Rursus respectu creaturarum est finis ultimus, quatenus creatura, licet non valeat attingere DEUM per finem quo identificatum cum DEO, non tamen potest in alio ultimo rationabiliter sistere, nisi in DEO Summo Bono excludente omnem miseriam, & omnem appetitum rationalis creaturæ fatiantem, atque adeò est finis qui ultimus creaturæ, merito sui omnibus aliis præferendus: sed in eo stat, quod solus DEUS sic ultimus per se rerum omnium finis, ut constat ex num. 5. ergo &c. Conf. ex Ambros. Enarr. in Psal. 38. De DEO dicente: *Ille, qui verus est finis, non unius est finis, sed omnium;* ergo &c.

Probat. 2. DEUS jure primæ causæ, & summi entis est supremus rerum omnium creaturarum Dominus, in quem omne jus dominii resolvitur: sed primæ causæ, & supremo Domino convenit per se ratio ultimè rerum omnium finis, ut constat ex Apocal. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, Principium & Finis;* ergo &c. Confirmat. Finis specialis ultimus creaturæ rationalis, quæ est capax beatitudinis præ non rationali, ut habet Augustinus citatus num. 389. de Virtute Penitentia, & ex terminis constat, ille solus est, qui satiare potest creaturæ appetitum, illa.

illamque per sui possessionem ab omni miseria liberare: sed talis est solus Deus omnipotens; ergo &c. Quapropter licet creatura non teneatur Deum semper omnibus rebus positivè præferre; quia non tenetur Deum semper actualiter super omnia diligere: at quia semper tenetur Deum non offendere, tenetur semper positivè Deum non postponere ullis rebus aliis, ut constat ex sæpè dictis in tractatu de Penitentia præsertim à n. 348.

17. **Afferò 2.** Circa secundam partem sectionis contra primam sententiam. Relatio actuum humanorum ad ultimum finem non stat in eo, quod homo per quemcumque suum actum, quicquid fugit, vel amplectitur; ex intrinseca, & physica tendentiâ actûs faciat propter ultimum finem, aut formaliter, aut virtualiter, aut interpretativè amatum. **Prob. 1.** Ultimus finis hominis, qui per se est verus ultimus finis, de quo agimus, est solus Deus, ut constat à n. 15. Atqui homo omnia, quæ per suos actus amplectitur, aut fugit, non amplectitur, aut fugit propter Deum, sive formaliter, sive virtualiter, sive interpretativè amatum; ergo &c. **Prob. min.** Implicat in terminis; quod homo faciat propter Deum, aut formaliter, aut virtualiter, aut interpretativè amatum; tanquam propter finem ultimum sui actûs id, quod facit contra Deum; & contra reverentiam ipsi debitam, Deum inhonorando: sed per actus saltem læthaliter peccaminosus; quod homo facit, facit contra Deum; & contra reverentiam ipsi debitam Deum inhonorando; ergo &c.

18. **Prob. 2.** Relatio actus humani ad ultimum finem debet esse diversa à relatione, quam ad ultimum finem dicit actus non humanus: sed actus non humanus dicit intrinsecè relationem physicam: extrinsecè verò ordinem Dei ad se ultimum finem, ut constat ex n. 13. ergo relatio actus humani debet esse ab istis relationibus distincta: atqui non potest esse distincta propter conceptum assignatum ab adversariis; cum per respectum actûs peccaminosus Deus non ametur ut ultimus finis; neque per respectum ad eum virtutum moralium: virtutes enim morales non habent pro fine amato quoad tendentiam suorum actuum Deum, sed bonitatem creatam; aliter non essent actus virtutum moralium, sed Theologicarum; ergo &c. **Conf.** actus attingens aliquid propter finem amatum ex vi tendentiæ suæ amat finem ut objectum formale: atqui actus ex vi tendentiæ suæ amans objectum formale divinum est Theologicus; & non moralis; ergo &c.

19. **Resp. 1.** Ex Esparza actus nõ specificari ab ultimo fine universali, & mediato: sed ab immediato: cum autem actus virtutum moralium pro objecto formali immediato attingant bonitatem creatam; & pro universali, & mediato bonitatem divinam, exinde manent in ratione actuum virtutum moralium, non autem Theologicarum. **Contra 1.** Quando actus ex intrinseca tendentiâ sua physica attingit ut objectum formale & objectum creatum, & divinum, utrumque immediatè attingit;

cum per se, & non per aliud attingat illud: ergo actus attingentes Deum ex intrinseca tendentiâ sua tanquam finem ultimum, & objectum formale, non deficiunt à ratione Theologorum, eò quod Deum immediatè non attingant. **Contra 2.** Licet bonitas creata simul, & divina sit objectum formale actûs, in eòque sensu dicatur finis universalis Deus, & bonitas creata finis particularis: adhuc actus ille est verè Theologicus, ut patet in actu fidei attingente revelationem creatam, & auctoritatem divinam; & in actu spei attingente pro objecto formali & divinam promissionem, & auxilia, in quibus reponit fiduciam; ergo &c.

20. **Resp. 2.** Ex Gonet, & aliis Thomistis, omnes actus humanos, adhuc graviter peccaminosus attingere objecta sua propter ultimum finem. Ratio eorum est, quia si actus sit graviter peccaminosus, homo per talem actum finem suum ultimum reponit in creatura: si autem non sit graviter peccaminosus reponit suum finem ultimum in Deo: atque adeo actus humanus semper tendit ad ultimum finem. **Contra tamen primò,** quia per actum graviter peccaminosum, licet homo reponat finem suum ultimum in creatura, non exinde attingit amandò per tendentiâ illius actûs verum, & proprium finem, de quo agimus: sed finem per accidens, & imaginarium, ut constat à n. 4. ergo ex hac responsione planè fit, tales actus humanos præ non humanis non habere intrinsecam relationem ad Deum ultimum finem.

21. **Contra 2.** Quia adversarius in hac responsione confundit duo toto cælo diversa: aliud enim est amittere, aut non amittere ultimum finem, & aliud est aliquem actum ex sua tendentiâ amplecti ultimum finem. Etenim per actum venialiter peccaminosum non amittitur ultimus finis; nec tamen talis actus ea, quæ amplectitur, amplectitur propter ultimum finem. Pariter per actum virtutum moralium non amittitur ultimus finis: nec ideo talis actus ex intrinseca tendentiâ sua attingit ultimum finem, ut constat ex n. 18. Eodem modo actus mortaliter peccaminosus licet per tendentiâ suam amittat verum ultimum finem, & quærat apparentem, non exinde ex sua physica tendentiâ amplectitur ultimum finem; ergo &c.

22. **Contra 3.** Homines perpetrant peccatum, quia sibi delectabile, quamvis cognitum ut adductivum summæ miseriæ, ut patet in fidelibus, qui peccant: atqui peccatum ut adductivum summæ miseriæ nequit esse ultimus verus finis; sed potius est exclusivum ultimi veri finis; ergo talis actus peccaminosus non est amplexio veri ultimi finis. **Contra 4.** Ultimus verus finis est ille, qui ex merito sui rectè præferatur omnibus rebus aliis; ut constat ex n. 5. Atque adeo est satiativus humani appetitûs, & exclusivus omnis miseriæ, sed tale non est objectum actûs peccaminosi, in quo creatura reponit ultimum finem apparentem; ergo &c. **Contra 5.** Ex tribus bonis, honesto nimirum, jucundo, seu delectabili, & utili, duo priora sunt propter se, tanquam propter finem

finem amabili, quamvis tertium, scilicet bonū purè utile, non sit propter se tanquam propter finem amabile. Hoc enim solum est amabile propter bonū, in ordine ad quod est utile, ut ex ipsis terminis patet, & cum Aristot. atq; D. Thom. multis in locis, præsertim 1. P. q. 5. art. 6. docet Ex. D. tom. 1. metaph. disp. 23. sec. 5. n. 16. Atqui bonum delectabile non solum est ultimus finis, sed etiam finis non ultimus, ut experientia constat; ergo &c.

23. Affero 3. contra 2. sententiam. Relatio, quam actus humani habent ad ultimum finem, non stat præcisè in eo, quòd apperamus plura propter ultimum finem, non quidem in se, sed participativè, & improprie consideratum. Probat 1. Relatio, quam actus propriè humani habent ad ultimum finem, est in genere valde diverso ab illa, quam actus non propriè humani habent ad ipsum finem, ut constat ex num. 13. Atqui attingentia objecti propter ultimum finem non quidem in se, sed participativè, & improprie consideratum, non est relatio actus propriè humani præ non humano; ergo &c. Prob. min. actus indeliberati etiam attingunt in eo sensu objectum suum propter ultimum finem, nimirum participativè, & improprie consideratum; cum attingant illud propter bonitatem, aut honestam, aut delectabilem, quæ absque imperfectionis mixtura relucet in ultimo fine; ergo &c. Confir. Actus necessarii, & liberi possunt habere idem objectum materiale, & formale, ut per se est evidens: ergo si actus liberi, sive humani, eo præcisè, quòd attingant bonitatem suam tamquam objectum formale, attingunt eam propter ultimum finem participativè, & improprie consideratum; eadem prorsus ratione actus necessarii, sive non humani, eam attingunt.

24. Prob. 2. Relatio specialis actus propriè humani ad ultimum finem non tam est physica, quam moralis; aliter non solum diceret relationem ad ultimum finem participativè, & improprie consideratum, sed etiam ad ultimum finem verè, & formaliter talem juxta num. 13. contra id, quod docent adversarii, cum quibus agimus; etenim quicumque actus sive necessarius, sive liber, sive bonus, sive malus, aut indifferens connectitur physice cum Deo; atqui relatio moralis præ non morali non habetur præcisè ratione ultimi finis, non quidem propriè, & in se, sed participativè, & improprie duntaxat considerati; ergo &c. Prob. min. actus hominis necessarii attingunt ultimum finem participativè, & improprie consideratum, ut constat ex num. super. Atqui licet habeant relationem physicam, non tamen includunt relationem moralem ad ultimum finem; ergo &c.

25. Affero 4. cum tertia sententia: specialis relatio actus propriè humani ad ultimum finem non stat in tendentia actus præcisè quæ physica, sed potius quæ moralis, viatori agenti suo liberè imputabili. Prob. 1. specialis relatio actus

propriè humani ad ultimum finem non stat in eo, in quo actus propriè humanus convenit cum actu non propriè humano, sed in eo, in quo specialiter ab illo differt, ut constat ex num. 13. atqui actus propriè humanus non distinguitur ab actu non propriè humano in tendentia ipsius purè quæ physica, sed in tendentia quæ moralis, viatori agenti suo liberè imputabili, ut constat à num. 7. ergo &c. Prob. min. actus propriè humanus distinguitur ab actu non propriè humano in eo, quòd homo liberè possit per illum, vel tendere ad suum ultimum finem, vel recedere, aut non recedere; sed hæc est relatio moralis, & specialis ad ultimum finem actus humani præ non humano; ergo &c. Vide num. 30.

Confir. 1. Actus propriè humanus ratione tendentiæ suæ moralis viatori agenti suo liberè imputabilis, habet, quòd sit meritorius, demeritorius, aut saltem indifferens; homo enim in quantum homo, subjicitur capiti totius rationalis naturæ, quod est Deus: atque adeò tenetur Deum non offendere, eumque colere per obsequia mediâ libertate ab ipso Deo illi concessa; ergo si actus est malus, respicit Deum ut potentem punire: si est bonus, respicit Deum ut potentem præmiare. Si autem sit indifferens, respicit Deum ut potentem indulgere, & liberare innocentes: atqui hujusmodi respectus, & relatio ad ultimum finem est specialis actui humano præ non humano; ergo &c. Confir. 2. ex D. Thoma opusc. 63. num. 7. dic. *Nec est infernus peior celo; dicente Ildoro: sicut celum syderibus, ita infernus damnatis hominibus ornabitur: equaliter enim commendat justitiam judicis iniquorum devotio, sicut innocentium defensio.* Ergo omnes actus humani præ non humanis dicunt relationem ad ultimum finem vel ut præmiantem, vel ut punientem, vel ut indulgentem, & defendentem.

Prob. 2. Licet tendentia actus humani, quæ purè physica non respiciat semper ultimum verum finem specialiter præ non humano, ut ex num. 17. at tendentia ipsius, quæ moralis, semper illum specialiter respicit, ut constat ex num. super. Ergo relatio specialis actus humani præ non humano ad ultimum verum finem non est reponenda in tendentia ipsius quæ purè physica, sed potius quæ moralis. Confir. 1. Eatenus consideranda est in præsentī relatio actus humani ad ultimum finem, quatenus actus humanus consideratur à Theologis cum D. Thoma in præsentī tractatu; atqui in præsentī tractatu non consideratur secundum tendentiam quæ purè physicam, sed quæ moralem à nobis expositam, ut advertit ipse D. Thomas citatus num. 10. ergo &c. Confir. 2. ex August. de Spiritu, & Litt. c. 33. de actibus humanis ita ratiocinante: *Infielēs contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, sed se ipsos fraudant magno, et summo bono, malisq; penalibus implicant.*

placant, experturi in suppliciis potestatem ejus, ejus in donis misericordiam contempserunt. Tum etiam ex D. Thom. 1. Part. quaest. 19. art. 6. *Cum voluntas DEI sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate secundum unum ordinem, recedat in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui, quantum est ex se, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.* In quibus testimoniis tota nostra doctrina continetur; ergo &c. Ex dictis

28. Fit 1. Nullum bonum extra DEUM posse esse finem ultimum positivum qui hominis. Ratio est, quia nullum bonum extra DEUM potest esse summum, sive quietativum hominis, & exclusivum omnis miseriae. Tum quia primum principium, & ultimus finis dicuntur ad convertentiam, ut constat ex num. 16. sed nullum principium extra DEUM potest esse primum principium: ergo neque ultimus finis. Exinde impugnandi sunt antiqui Philosophi, qui humanis voluptatibus obcecati, & fidei lumine destituti, varias de fine ultimo, & absurdas opiniones excogitarunt, in illo bono caduco, & defectibili finem per se ultimum praesigentes, in quod uniuscujusque perverio inclinabat. Augustinus enim lib. 19. de Civ. cap. 1. post medium ducentas octoginta octo diversas, & absurdas eorum antiquorum Philosophorum opiniones refert ex Varone, quae omnes ad tres classes reduci possunt juxta tria bonorum genera, in quo ultimo fine, & objectiva beatitudine seligebant. Alia enim erant bona extra animam, ut divitiarum, fortunarum, honores, fama, potestas, & id genus alia. Altera erant bona circa animam, scilicet bona corporis, ut valetudo, robur, pulchritudo, voluptas, & alia hujusmodi. Alia erant bona intra animam, ut scientia, & virtutes. Nullum autem ex his bonis posse esse finem per se ultimum hominis, ut late ostendit Exim. Doctor cum D. Thoma prim. secund. quaest. 2. & demonstratur facile ex dictis; quia finis per se ultimus convertitur cum primo principio: & est ille, in quo anima rationabiliter quiescit, justè praeferendo finem illum omnibus aliis rebus: atqui nullum bonum extra DEUM tale est, ut ex ipsis terminis constat; ergo &c. Exinde

29. Fit 2. Irrationabiliter reponi finem per se ultimum hominis in bonis fortunae. Ratio est, quia finis per se ultimus affert commodum, non quidem sui effusione, sed possessione, qua expellit omnem miseriam: atqui bona fortunae vel non afferunt commodum sui pos-

sessione, sed effusione, ut divitiarum; vel non sunt impossibilia cum omni miseria; possunt enim pro alterius libito facile auferri, ut honor, fortuna, & humana gloria: neque expellunt maximum malum, cum beatitudine, & possessione ultimi finis impossibile, quale est peccatum; ergo &c. Fit 3. Non posse reponi ultimum finem per se in bonis corporis. Ratio est, quia bona corporis sunt homini communia cum brutis, & saepe sunt in brutis perfectiora, quam in homine; plura enim bruta habent vitam longiorem, valetudinem firmiorem, & acutiores sensus, quam homines, neque ejusmodi bona fatiant partem hominis superiorem, nempe animam; neque inferiorem perficiunt, cum saepissime sint aegritudinis causa, & animi caecitatem inducant, & de voluptuosis merito dixit Cicero in Catone; ergo &c.

Fit 4. Finem per se ultimum hominis reponi non posse in bonis ipsius animae. Ratio est, quia finis per se ultimus hominis est beatitudo objectiva, sive finis qui ultimò fatians, & quietans animam, ut ex num. 16. Atqui neque scientiarum, neque virtutes se ipsis possunt fatiare, & ultimò fine quietare animam, sed ut constat à n. 25. Sunt medium ducens ad Deum, qui satiet, & quietet eam; ergo &c. Quapropter virtutes in hac vita non conjunguntur cum gaudio animae fatiativo, quin potius debemus contra nos ipsos pugnare, nobis ipsis resistere, inclinationes frenare, quando virtutes aquirimus: atque adeò si ipsae non essent medium ad alium finem ultimò fatiativum animae, qui est Deus auferens ab anima illum possidente, omnem miseriam, miserabiliores essemus caeteris hominibus, ut ex 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Fit 5. Errasse omnino Stoicos finem per se ultimum nostrum in virtutibus moralibus reponentes. Ratio est, quia virtutes morales non sunt summum bonum animae fatiativum, & omnis miseriae exclusivum: atque adeò nequeunt esse finis qui, sive ultimus hominis. Quinimò neque ad hoc esse possunt finis quo respectivè ad finem ultimum hominis, cum DEUM immediatè non attingant: atque adeò neque nos DEO immediatè conjungant. Etenim ut habet Aristoteles lib. 10. Eth. cap. 7. Virtutes morales non sunt praestantissimae, cum versentur circa res humanas, & infimas: in eo namque distinguuntur à Theologicis, quod virtutes morales, v. g. Temperantia, fortitudo, misericordia, respiciunt pro objecto formali bonitatem purè creatam: Virtutes autem Theologicae, ut fides, spes, charitas, respiciunt pro objecto formali praedicatum divinum; ergo virtutes morales nequeunt esse finis per se ultimus hominis.

unde ratio finis per se ultimi, & ratio primi principis sibi ad invicem correspondent. Ac proinde sicut solus Deus per se est ratio primi principii; ita etiam per se est ratio nostri ultimi finis.

SECTIO III.

Solvuntur opposita.

32. **O**bjic. 1. Contra primam ex Lutero, & Calvino, simulque ex Jansenio rom. 3. c. 8. 9. & 10. Si Deus esset finis per se ultimus hominis, creatura rectissime quaerens suum ultimum finem, amaret Deum ut sibi bonum: sed nequit recte amare Deum ut sibi bonum; ergo &c. Prob. min. Creatura amans Deum ut sibi bonum se respicit ut finem Dei, Deumque amat propter creaturam, non creaturam propter Deum; sed talis actus non est rectus, sed vitiosus; ergo &c. Conf. D. Thom. prima secundae, quaest. 27. art. 4. amorem dividens in amorem amicitiae, & amorem concupiscentiae, docet amorem amicitiae versari circa personam, cui volumus bonum; circa bonum autem, quod illi volumus, versari amorem concupiscentiae. Unde colligit amorem, quo amatur aliquid, ut ei sit bonum, esse amorem simpliciter: amorem autem, quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius, esse amorem secundum quid: ergo quando creatura amat Deum ut sibi bonum, non recte, sed vitiose amat; quandoquidem amat se simpliciter, & Deum secundum quid, quod irreductum est.
33. **R**esp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem dist. maj. se respicit, ut finem Dei, id est ut finem *cui* minus appetitum, a summa bonitate perfectibilem, eaque indigentem ad habendam felicitatem, conc. ut finem *cui* per se ultimum, aut magis appetitum, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia creatura ita amans Deum ut creaturae bonum, potest in sensu composito talis actus alium elicere, quo Deum propter se super omnia diligit: atque adeo illum super omnia appetit: actus autem compositibilis cum majori appetitione Dei super omnia repugnat in terminis, quod sit alterius objecti major appetitio, quam Dei: aliter appetieret, & non appetieret simul Deum super omnia, quod est chymera. Unde quando creatura amat Deum propter ipsam, actus ille habet duplicem formalitatem, alteram quidem amoris directi, & quasi genericam, seu primam in actu: & alteram concupiscentiae, quasi differentialem, & ultimam in eo actu: secundum formalitatem primam amoris directi amat Deum propter bonitatem, quam in ipso agnoscit incomparabiliter majorem bonitate creaturae: secundum formalitatem alteram, seu ultimam concupiscentiae amat sibi creatura ipsum Deum; caeterum, quia, ut ordinate amet, debet posse componere in sensu composito illius actus

majorem Dei appreciationem, ea de causa creatura se nunquam magis amat absolute, quam Deum. Exinde adversariorum sententia non solum a Tridentino, sed etiam ab Alexandro VIII. fuit iterum condemnata, ut ex n. 344. De Virt. Pcen.

Ad confirmationem conc. antecedens, & neg. consequentiam. Ratio est, quia, licet creatura amans Deum ut ipsi creaturae bonum, formaliter per illum actum non praeferrat Deum creaturae, neque ipsum attingat ut objectum positive ultimum; attamen ita sibi DEUM amat, ut in sensu composito illius actus exercere possit perfectissimam charitatem, qua DEUM super omnia appetit: actus autem ita tendens in DEUM, nequaquam est vitiosus, cum tendat iuxta regulas rectae rationis, ex quibus rationalis creatura facultatem habet ab auctore naturae, ut complectatur Deum tanquam suum summum bonum, ut constat a n. 406. De Penitentia. Talis autem amor, prout est amor directus DEI, vocatur a D. Thoma amor secundum quid; eo quod non sit ultima illius actus formalitas, ut constat ex num. superiori. Qua de causa formalitas, qua creatura vult sibi DEUM ut suum bonum, quia est ultima illius actus formalitas, vocatur a D. Thoma amor simpliciter: ad eum modum quo, quando volo alteri bonum, quia ipsi bonum, formalitas illius actus, prout ad illud bonum tendit, eo quod non sit illius actus ultima, vocatur amor secundum quid; prout vero personam attingit, vocatur amor simpliciter, quia ea est ultima illius actus formalitas.

Exinde sicut ridiculum esset hoc argumentum: quando volo alteri bonum, quia ipsi bonum, amo illum simpliciter, & non amo simpliciter DEUM; ergo appetio alterum magis, quam DEUM: ita est ridiculum hoc argumentum: quando creatura DEUM amat ut ipsi creaturae bonum, se ipsam amat simpliciter, & non amat simpliciter DEUM; ergo se ipsam magis appetit, quam DEUM. Argumentum quidem nullum est ob rationem datam a num. 33. Sicut enim non tenemur amare DEUM semper super omnia, aliter peccaremus, si non essemus in continuo exercitio elicientes actum amoris DEI super omnia; ita non tenemur, quando amamus aliquod objectum, elicere alterum actum, quo DEUM magis amemus: solum autem tenemur pro semper ad nunquam postponendum DEUM rebus aliis, cum semper teneamur ad non peccandum. Per actum autem, quo aliquod objectum diligimus, quamvis per illum non diligamus DEUM, non exinde postponimus DEUM rebus aliis. Ut constat a num. 33. Quare talis actus ex eo titulo nequaquam erit irreductus.

Objic.

36. *Objic. 2.* Creatura rationalis est finita, & finite perfectibilis; ergo non potest habere pro ultimo fine Deum bonum infinitum. Retorqueo argumentum. Creatura est finita, & limitata secundum sua prædicata producibilia: ergo non potest habere pro primo principio Deum principium infinitum. *Resp.* Deinde conc. antecedens, & neg. consequentiam. Ratio est, quia quamvis creatura sit finita, & finite perfectibilis, subjecta est infinitis miseriis, saltem distributive sumptis: cum autem ad expellendas infinitas miseras non sit inutile, sed utilissimum bonum infinitum, exinde creatura respicit ut ultimum suum finem, ratione cujus habet exclusionem earum miseriarum, Deum bonum infinitum. Quin potius, sicut ad producendam perfectionem finitam, quæ ab infinitis contrariis distributive sumptis impediri posset, necessarium est primum principium infinitum, pariter ad ultimum finem expellentem infinitas miseras, quarum quælibet supervenire poterat, necessarius est Deus bonum infinitum. Qua de causa ultimus finis, & primum principium, ut diximus n. 16. sunt ad invicem correlata.

37. *Objic. 3.* Contra secundam conclusionem. Augustinus variis in locis, præsertim lib. 10. *Conf. c. 21.* ait: Si quaeratur à duobus, utrum militare velint; fieri posse, ut alter eorum vellet, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quaeratur, utrum beati esse velint; uterque statim sine ulla dubitatione se dicat optare: neque ob aliud velit ille militare; neque ob aliud ille nolit, nisi ut beati sint; ergo ipsa contradictoria bona, & opposita, quæ appetunt homines, appetunt propter beatitudinem, seu propter quidditativum illam rationem ultimi finis: ergo quicumque actus humani præferunt ex intrinseca sua tendentia ordinationem ad ultimum finem. *Resp.* Conc. ant. & dist. consequens: propter beatitudinem in communi sumptam conc. in particulari acceptam neg. consequentiam. Ratio est, quia beatitudo in communi sumpta nihil aliud est, nisi bonum propositum homini sive honestum, sive delectabile ad elicientiam complexivam sui actus ex num. 12. Cum autem alicui proponatur ut sibi bona malitia, alteri verò ut sibi mala, exinde talem beatitudinem appetit unus sequens bellum, alter verò fugiens: sed quid exinde ad tendentiam physicam actuum nostrorum ad ultimum verum finem in particulari acceptum?

38. *Objic. 4.* Quæcumque appetit voluntas, vel appetit tanquam bonum perfectum, & sufficiens, vel tanquam bonum imperfectum, & insufficientem: sed utroque modo appetit ultimum finem; ergo &c. *Probat. min.* si appetit tanquam bonum perfectum, & sufficiens, cum hæc sit ratio formalis ultimi finis, absque dubio ita appetendo, appetit propter ultimum finem: si autem appetit tanquam bonum insufficientem, & imperfectum, appetit

illud tanquam partem, aut inchoationem boni perfecti, sive ultimi finis: inchoatio enim ordinatur ad illius consummationem, sicut inchoatio domus ad perfectam domum; ergo &c. *Confirmat.* Ex Gonet disp. 1. artic. 7. §. 2. Omne bonum particulare ordinatur ex natura sua ad finem ultimum, & est veluti quædam ejus inchoatio, & participatio; sed hoc ipso, qui amat tale bonum, amat saltem virtualiter, aut interpretative finem ultimum, quamvis de illo nihil cogitet: quemadmodum nutritionem intendit, qui illam non cogitans sumit alimentum; ergo &c.

Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem dist. primam partem antecedentis: tanquam perfectum, & sufficiens vel ex merito objecti, vel ex errore intellectus, aut ab usu voluntatis, conc. semper ex merito objecti, neg. & dist. eodem modo secunda parte antecedentis neg. consequentiam. Explico solutionem. Voluntas quandoque ex errore intellectus appetit tanquam ultimum sui finem, quod revera ultimus verus finis non est: sic Ethnici Idola sua super omnia appetiebant, quæ ex ipsorum merito ita appetibilia non erant: sic etiam illi, qui læthaliter peccant, ex pravo voluntatis usu postponunt Deum bonitati creatæ, in qua sibi Idolum fingunt. Unde non est idem voluntatem amplecti objectum super omnia ab ipsa appetitum, ac complecti objectum ex ipsius merito perfectissimum. Quare ordinatio actus ad tale objectum nequaquam est ordinatio ad ultimum verum finem; adhuc enim tantum ordinatur ex tendentia sua ille actus, qui complectitur objectum, ex merito sui illud appetendo super omnia; cum autem voluntas non semper ita liberè attingat objectum, exinde manifestum est, in hoc sensu non ordinari omnes actus humanos ex intrinsecis suis ad ultimum verum finem.

Si autem voluntas attingat objectum imperfectum ex præcognitione illius imperfectionis, cum tale objectum neque ex intrinsecis suis sit pars constitutiva objecti perfectissimi: Deus enim, qui solus est objectum perfectissimum, ex nulla imperfectione potest componi; exinde objectum imperfectum neque ex intrinseca natura sua, aut titulo imperfecti, trahere potest objectum perfectissimum; atque adeò velle objectum imperfectum, non est velle formaliter, virtualiter, aut interpretative objectum perfectissimum modo, quo illud non velit actus non humanus: sic qui amat unum hominem, qui est pars mundi, non exinde amat omnes homines, qui sunt in mundo: & qui appetit unum cibum, qui est pars aliorum, qui sunt in mundo, non exinde appetit omnes cibos, qui sunt in mundo: possumus enim unum appetere, & alterum fugere: ut enim amor partis sit amor totius: requiritur, vel quod pars non possit essentialiter esse constituta sine toto; illudque ex intrinseca sua natura trahat, vel

vel quod ametur ut totius constitutiva, vel quod ametur ut utilis ad obtinendum totum; cum autem objectum imperfectum non sit pars constitutiva objecti perfectissimi, neque illud trahat ex intrinseca natura sua, neque proponatur ut utile ad illud obtinendum; exinde malè inferitur amari formaliter, virtualiter, aut interpretativè objectum perfectissimum; eò quod ametur objectum imperfectum: Deuse enim est terminus præsuppositus, qui ex necessitate amandus non est, ut objectum ametur cum ipso connexum, ut patet in scientia Dei de peccato, quæ amari potest, quin ametur peccatum.

41. Ad confirmationem dist. maj. omne bonum particulare ordinatur ex intrinseca natura sua ad ultimum finem tanquam bonum utile ad illud consequendum, vel tanquam participatio, aut inchoatio ejus constitutiva, neg. tanquam bonum quandoque utiliter, quandoque inutiliter attractum ad summi boni consecutionem, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia si aliquid bonum particulare attingatur secundum respectum inutilem ad consecutionem summi boni, & ultimi finis, omnino repugnat, quod ejus amor sit formaliter, virtualiter, aut interpretativè amor ultimi finis. Quamobrem exemplum de alimento non venit ad rem; quia alimentum est revera medium ad nutritionem, & illius inductivum: atque adeo qui vult se alere, virtualiter saltem, aut interpretativè vult nutritionem. Hæc dicta sunt, ut vera à falsis discernantur; etenim ut argumentum, ejusque confirmatio dissolverentur, satis erat omnis præmissis negare consequentiam. Quia ex illis præmissis nequaquam inferitur tendentia actus humani præ non humano ad ultimum finem, eum de utroque æqualiter probet, vel de nullo: atque adeo non est ista ea relatio specialis actui humano præ non humano, quam quærimus in presenti.

42. Objic. 5. Amor formalis, & expressus ultimi finis præcedit omnem, & quemcumque amorem boni particularis: ita ut ex illo remaneat in voluntate virtus ad amanda bona particularia: ergo in virtute illius primi amoris voluntas concipit amorem cujuscunque boni particularis: ac proinde bona particularia amantur virtualiter propter ultimum finem. Probat. ant. Ultimus finis se habet respectu bonorum, seu finium particularium, sicut prima causa efficiens respectu causarum secundarum efficientium: atqui influxus causæ primæ præcedit influxum omnium causarum efficientium secundarum; ergo &c. Confirmat. 1. Amor ultimi finis est naturalis, & necessarius quoad specificationem: ergo præcedit omnes actus deliberatos circa bona particularia. Confirm. 2. Finis ultimus se habet ad amorem bonorum particularium, sicut finis particularis ad electionem mediorum: atqui intentio finis particularis præcedit electionem mediorum; ergo &c. Conf. 3. Voluntas secundum se est in potentia

ad omnes suos actus deliberatos: atqui à voluntate ut in potentia non potest procedere actus determinatus circa bonum particulare, nisi prius constituatur in actu per aliquem actum præcedentem, ad quem moveatur à solo Deo: atque adeo sit intentio ultimi finis; ergo &c. Hoc argumentum eadem æquivocatione laborat, ac præcedens, non distinguens relationem specialem actus humani præ non humano.

Resp. dist. ant. Præcedit indispensabiliter semperque ad causandum alios amores neg. præcedit aliquando, vel ad causandum aliquando alterum amorem conc. ant. & neg. consequent. Ad prob. dist. maj. se habet quoad tendentiam præcisè quæ physicam neg. quæ moralem à nobis expositam à n. 25. conc. maj. & conc. min. neg. conseq. Nam si eodem modo se haberet quoad tendentiam physicam, sicut omnis influxus physicus causæ secundæ, est formalis influxus causæ primæ; ira omnis amor causæ secundæ esset formalis amor causæ primæ, quod dicere & absurdum est, & contra experientiam, & contra ipsos adversarios.

Ratio autem omnium est; quia licet homo teneretur in primo rationis instanti Deum super omnia diligere, quod Scotus, alique negant, imò neque ipsi adversarii hoc de primo instanti physico, sed de morali affirmant, alibi dixi, non est idem teneri ad facere: ad plura quippe tenemur, quæ non facimus. Unde & ipsi adversarii docent peccatum hominem, qui in eo instanti morali Deum super omnia non diligit; si ergo peccare potest homo amorem illum ante alios amores non eliciendo, nequaquam erit necessaria præcedentia illius amoris ad alios amores. Quin potius quamvis quandoque eliciatur talis amor, non est talis, ut cogat voluntatem ad operandum semper juxta illum, aliter homo semel illum amorem eliciens, nunquam imposterum peccare posset, quod hæreticum est. Neque talis est ille amor, ut virtus ab ipso relicta destrui non possit. Virtus enim acquisita per actus, destruitur per virtutem à contrariis actibus acquisitam, ut patet experientia, qua videmus homines modò faciles ad pietatis opera; postea verò quando ea per actus pravos reliquerunt, jam non esse faciles, sed ingentem experiri difficultatem, ut ad pia opera revertantur. Unde neque ex necessitate amoris prævii, neque ex virtute ab ipso relicta, si quandoque eliciatur, argui potest ulla necessitas ad eliciendos omnes sublequentes actus propter amorem ultimi finis.

Ad primam confirmationem dist. ant. ultimi finis in communi accepti conc. in particulari sumpti neg. ant. & conseq. quæ expressè militat contra rationes adductas, & contra D. Thomam citatum n. 12. Ad secundam confirm. dist. maj. se habet quoad tendentiam actuum præcisè quæ physicam neg. quæ moralem conc. maj. & conc. min. neg. conseq. ut constat n. 43. Ad tertiam confirm. dist. maj. est in potentia, quando est destituta comprincipiis proximis ad

utrumq; conc. quando est instructa subdistinguo est in potentia ex imperfectione virtutis neg. ex perfectione dominii, ut se determinet ad quodcumque voluerit conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. consequentiam. Quia quando voluntas est constituta cum perfectione dominii ad utrumque contradictionis extremum, potest pro libito suo elicere actum, quem voluerit; atque adeo necessitari non potest ad elicendum actum, qui formaliter, virtualiter, aut interpretative sit amor Dei ut ultimi finis.

46. **Objic. 6.** Qui mortaliter peccat, constituit finem suum ultimum in creatura, atque adeo adhuc talis actus est amor ultimi finis: sed nullus est actus, cui minus competat ratio amoris ultimi finis, quam mortaliter peccaminolo: ergo nullus est actus, qui non sit amor ultimi finis. Minor & consequentia tenent: major, inquitur adversarii, est omnium fere Theologorum contra Hadrianum quaest. 5. art. 3. **Confirm. 1.** Per talem actum peccaminosum peccator recedit affective à Deo ultimo fine, & accedit tanquam ad ultimum finem ad creaturam, sive haec sit ipse peccator; sive bonum illud delectabile prohibitorum, quod sibi amat; ergo &c. **Confirm. 2.** Ex Apostolo de Heliuonibus ad Philipp. 3. dicendo: *Quorum Deus venter est.* Et ad Gal. 5. ubi avaritia vocatur à Paulo Idolorum servitus. Exinde D. Thomas 2. quaest. 24. art. 10. ad 2. ait: *Duplex est cupiditas, una, qua finis in creatura constituitur; quae mortificat totalem charitatem.* Ergo peccator per peccatum lethale accedit ad creaturam tanquam ad ultimum finem.

47. **Resp. dist. maj.** Finem suum ultimum, qui ultimus sit ex merito objecti neg. ex errore intellectus, vel abusu voluntatis, conc. maj. & dist. min. nullus est, cui minus competat ratio ultimi finis, qui ultimus sit ex errore intellectus, vel abusu voluntatis, neg. qui talis non sit; conc. min. & neg. conseq. Quia neque actus venialiter peccaminosus, neque actus virtutum moralium reponunt in creatura ultimum finem ex abusu voluntatis, quantumvis non ament ultimum finem positive, sed negative talem; ut constat à n. 4. & 18. Dixi vel errore intellectus, vel ex abusu voluntatis; quia eatenus à Scriptura, PP. & Theologis dicitur peccator per actum lethaliter peccaminosum reponere suum ultimum finem in creatura, quatenus in concursu amoris appetitivi, appetit magis creaturam, quam Deum: quatenus vult magis bonum delectabile, quod amplectitur, quam observationem debitam legibus amicitiae; juxta dicta à n. 290. de virt. Penitentiae.

48. Ad hanc autem majorem appetitionem non requiritur error intellectus in scientia simplicis notitiae, sed in scientia approbationis, quae quidem supra actum intellectus addit actum voluntatis, ut habent omnes Theologi cum August. qui tom. 8. super illa verba Pl. 100. *Declinamus*

rem à me malignum non cognoscebam, ita ratiocinatur: *Quid est non cognoscebam? Non approbavam, non laudavam, non mihi placebat: cognoscere enim invenimus in Scripturis aliquando dici pro eo, quod est placere nobis.* Quod idem habet tom. 4. lib. 2. q. 152. Quando ergo additur actus voluntatis violans jus, quo sub gravi tenebatur homo ad non eligendum bonum delectabile, quod eligit, relicto illo; ad quod tenebatur ex imperio gravi summi boni, tunc ad est contemptus summi boni, & conversio ad delectabile; atque adeo aversio à Deo ultimo fine, & conversio ad creaturam, tanquam ad ultimum finem: talis namque actus est everfusio amicitiae inter creaturam, & Deum. Unde qui nullo gravi violato jure, sed utendo facultate à natura, vel ab Auctore naturae sibi concessa, eligit minus bonum relicto majori bono, tunc non contemnit majus bonum, neque appetit minus pra majori, sed potius seipsum deprimit ad minorem perfectionem, quod ad majorem non tenetur, ut constat ex fide in illo, qui relicto majori bono castitatis, eligit minus bonum matrimonii, juxta Apost. 1. Cor. 7. dicentem: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Qui autem ita eligeret, violando jus, quo sub gravi tenebatur ad non eligendum, jam non operaretur ex depressione sui ad minus bonum, sed ex injuria majoris boni: atque adeo ex illius contemptu, & appetitione minoris pra majori. At quis non videat totum hoc non tam reduci ad tendentiam actus quae physicam, quam ad tendentiam actus quae moralem?

Ad 1. conf. dist. ant. accedit tanquam ad ultimum finem, qui verus sit ex merito objecti, neg. ex errore intellectus, vel abusu voluntatis, conc. ant. & neg. conf. ut constat ex n. super. Ad 2. conf. conc. ant. & dist. conf. ut supra, ex quo potius roboratur nostra sententia. Nam peccator per actum lethaliter peccaminosum neque amat ultimum verum finem; neque talem actum amoris erga delectabilia elicit ex amore ultimi veri finis imperante, sed ex errore scientiae approbativae, & contemptu ultimi veri finis. Unde licet in peccatore non semper adsit error in scientia simplicis notitiae circa ultimum finem, adest semper error in scientia approbationis. Ex qua sola distinctione facile conciliantur testimonia Scripturae, SS. PP. & Philosophorum, quorum aliqua docent omnem peccatorem errare, & esse ignarum scientia nimirum approbationis. Sic Prov. 14. *Errant, qui operantur malum.* Et Arist. 3. Eth. c. 5. *Omnis malus est ignorans.* Alia vero docent peccatorem peccare, quin sit ignorans, imò cum scientia, & cognitione voluntatis divinae, nimirum cum scientia simplicis notitiae. Sic Jac. 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Luc. 12. *Servus, qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis.* Et Augustin. ferm. 8. in Pl. 118. *Sape quid agendum sit, videmus, nec agimus.* Haec Augustinus.

Hh 3

Objic.

50. **Objic. 7.** Contra 3. omnes actus humani præ non humanis dicunt relationem ad ultimum finem: sed non ad ultimum propriè, & in se; ergo impropiè, & participativè. **Confr. 1.** ex Aristotele 1. eth. c. 6. Ubi enumerans ea, quæ apud homines sunt bona, ita de vita loquitur. *Vivere ipsum, etiamsi nihil aliud bonum in se sequeretur, per se ipsum tamen expetendum est,* & cap. 5. sub init. postquam dixit esse unum finem unicuique, & omnibus propositum subdit: *Is verò est, ut uno verbo dicam, Felicitas, aut ejus pars aliqua.* Alia versio habet: *Felicitas, & qua sunt ejus particula.* Sed in hoc stat finis ultimus participativè, & impropiè ergo &c. **Confr. 2.** ex August. lib. 2. Conf. c. 10. dicente: Non esse, quo à Deo omnimode recedatur; quia nimirum à summo bono, & vera beatitudine recedere peccator non potest, nisi accedat per appetitum ad quamdam illius similitudinem, & imperfectissimam, aut viciosam participationem. Ergo relatio actus humani ad ultimum finem in eo præcisè stat, quod vel attingat ultimum finem propriè, & in se, vel impropiè, & participativè.

51. **Resp. dist. maj.** dicunt relationem vel physicam, vel moralem, conc. semper physicam, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam, ut constat à num. 25. **Ad 1. conf. conc. maj.** & dist. minorem: Finis ultimus, quatenus attingitur ab actu humano præ non humano, neg. quatenus attingitur tam ab actu humano, quam ab actu non humano, conc. min. & neg. consequentiam, ut constat à num. 23. **Ad 2. conf. conc. ant. & neg. consequentiam.** Quia relatio actus humani ad ultimum finem, de qua agimus in præsentia, non est relatio communis tam actui humano, quam non humano, sed peculiaris actui humano præ non humano: illa autem tendentia ad ultimum finem participativè, & impropiè sumptum, de qua in præsentia loquitur Augustinus, non est specialis actui humano præ non humano, ut sæpe diximus; ac proinde non est ea, de qua agimus in præsentia: agimus enim de illa, de qua loquuntur Augustinus, & Thomas citati num. 27.

52. **Objic. 8.** Contra 4. Beati, ut communiter docent Theologi, eliciunt in Patria aliquos actus liberos; atque adeo propriè humanos: at qui tales actus non habent moralem tendentiam ad ultimum finem à nobis expositam; ergo relatio actus humani præ non humano ad ultimum finem, non stat in tendentia morali à nobis exposita. **Confr. 1.** Relatio moralis ad præmiantem, indulgentem, vel punientem non est relatio ad ultimum finem, sed potiùs ad supremum gubernatorem rationalis Reip. ad quem spectat defendere innocentes, punire malos, & præmiare bonos; ergo. **Conf. 2.** si possibilis sit actus indifferens in individuo, erit propriè humanus: sed non habebit relationem moralem ad ultimum finem distinctam ab actu non humano; cum per actum necessarium etiam homo maneat innocens; ergo &c. **Confr. 3.** Angeli viato-

res elicerunt etiam actus liberos habentes relationem moralem ad ultimum finem: sed non elicerunt actus humanos; ergo relatio moralis ad ultimum finem non est specialis actui humano præ non humano.

Resp. dist. maj. Aliquos actus liberos ex libertate, vi cuius possint obtinere, vel amittere ultimum finem, nego, vi cuius hoc non possint, conc. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Quia moralitas, de qua in præsentia agunt Theologi, relate ad ultimum finem est illa, ratione cuius creatura pro libito suo tendere potest ad amittendum, aut non amittendum, seu ad merendum ultimum finem, ejusque possessionem, quæ libertas non est propria beati, sed viatoris, ut in nostra assertione diximus num. 25. Cum autem per libertatem naturalem viator ita procedat; potest enim per naturalem libertatem peccare, & ultimum finem amittere, vel ex potentia actuam illum obtinere, si in pura natura constitueretur, ut infra constabit. Quem agendi modum imitatur libertas per gratiam constituta ad obtinendum finem supernum, ut suo loco dicemus; ea de causa in Beatis non reperitur moralitas actus humani, quæ reperitur in viatoribus, & de qua in præsentia agunt Theologi.

Ad 1. Confr. neg. ant. ejusque implicentiam in terminis. Etenim si supremus Reipublice rationalis gubernator est Deus, qui realiter, & virtualiter est ultimus finis, manifesta est in terminis implicentia, quod actus humani dicant relationem ad talem supremum gubernatorem, eamque non dicant ad ultimum finem: sicut enim primum principium, & ultimus finis relative dicuntur, ita & supremus Reip. rationalis iudex, & gubernator. Quod Gen. 1. satis ostenditur. Etenim ubi vulgata natura legit: (*In principio creavit Deus cælum, & terram:*) Textus Hebr. legit: (*Creavit Eloim:*) eloim autem significat iudices. Quinimo si supremus iudex rationem exigit de conformitate, aut deformitate actionum cum ultimo fine, quomodo negari potest hæc specialis relatio actus humani præ non humano ad ultimum finem? **Ad 2. Confr. conc. maj. & neg. min.** quia libertas ad actum indifferenter capax est, ut se extendat ad prohibitum; objectum enim indifferens prohiberi potest: sicut de facto comestio carni die veneris prohibita est. Unde ad Reipub. rationalis supremum gubernatorem attinet, rationem exigere à creatura, an culpabiliter, vel inculpabiliter judicaverit esse indifferens objectum, quod amplectitur. Hoc autem evenire non potest cum pura necessitate; nec aliam agnoscimus moralitatem in actu indifferente, si possibilis sit. Quæ doctrina extendenda est ad materialiam peccati puri philosophici, si possibile etiam sit.

Ad 3. Confr. concessis præmissis dist. conf. actui humano præ non humano elicitio ab homine, neg. à non homine; conc. com. p. Quia hic solum agimus de moralitate actus hu-

mani præ non humano, respectivè ad actus, qui ab homine viatore eliciuntur; non autem respectivè ad illos, qui eliciuntur ab Angelo. Quin potius proportione servata eodem modo doctrina nostra extendenda est ad Angelum viatorem. Unde in ratione moralitatis non quæ-

rimus distinctionem inter actus humanos elictos ab homine, vel Angelo viatoribus; actus enim liberi Angeli viatoris etiam haberent relationem moralem ad ultimum finem, qualem non haberent actus ipsius necessarii, ut satis constat ex dictis.

DISPUTATIO II

DE NATURA POTENTE FINEM ULTIMUM, SIVE BEATITUDINEM OBTINERE.

56. **M**ultiplex est status, in quo considerari potest rationalis natura. Primus dicitur status naturæ puræ, qui de positivo includit perfectionem essentialem naturæ; omnemque aliam connaturaliter debitam, nempe essentialiam, proprietates, concursus Dei ad actiones naturales, & proportionatam tali rerum ordini providentiam. De negativo verò dicit carentiam elevationis ad finem supernum, carentiam peccati, atque adeo carentiam reatus ex peccato consequentis. Secundus dicitur status naturæ integræ, qui supra perfectiones naturæ puræ addit moralem integritatem non debitam, nimirum tale dominium partis superioris in inferiorum, istiusque subjectionem ad illam, ut ejus vi appetitus rationi obediat; vel quia contra illam non moveretur, vel quia numquam illam prævenit, manente exinde natura cum viribus expeditis ab omni impedimento fomitis, & estranæ concupiscentiæ ad operandum integrè juxta rationem: Hæc enim licet non sit pars integralis naturæ physicè sumptæ; est tamen integritas naturæ moraliter, & ethicè acceptæ: ad eum modum, quo pulchritudo addita ædificiis, v. g. Pictura, dicitur integralis perfectio ædificii, non quidem physicè, sed politicè sumpti. Unde apparet, quam irrectè utrumque naturæ statum in unum confuderit Durandus in 2. dist. 28. Tertius status dicitur innocentia, qui perfectioni integræ naturæ addit elevationem ad finem supernum, gratiam sanctificantem, virtutes infusas eam consequentes, privilegia immunitatis à culpa, errore, deceptione, morte, aliasque perfectiones exinde promanantes. Quartus dicitur status justitiæ originalis, qui supra aliorum statuum perfectionem addit privilegium transfundendi has omnes perfectiones in posteros ex ordinatione divina. Quintus dicitur status naturæ lapsæ, seu corruptæ, qui supponit, vel includit lethale peccatum sive personale, sive originale, ratione cujus natura subjacet malis inde subortis, auferentibus prerogativas innocentia, & integritatis. Sextus dicitur status naturæ reparatæ, qui ex Christi meritis restaurat gratiam sanctificantem, & ratione ipsius liberationem à peccato, jus ad gloriam, & liberationem à malis ex peccato relictis, non tamen omnibus; cum in peccato peccati relinquitur illam Deus aliquo modo

vulneratam. Septimus est status naturæ beatæ, vel damnatæ, qui non tam habet rationem status, quàm termini. Ex sex autem illis statibus primus numquam exitit. Quinque verò alios in Adamo Parente nostro agnoscit melior Theologia cum Exim. Doctore. Exinde manet controversia apud Theologos de statu puræ naturæ, an scilicet sit possibilis nec ne? Et an sit possibilis, vel repugnet finis ultimus naturalis, sive naturalis Beatitudo? Hinc sit

SECTIO I.

An sit possibilis status puræ Naturæ?

Prima sententia negat. Ita plures Lovanienses post Mich. Bayum, docentes statum elevationis, atque integritatis esse de naturali conditione naturæ. Quod docent etiam hodie Jansenistæ. Nec ex parte omnino recedunt aliqui Recentiores docentes, providentiam Dei naturalem absque supernaturali stare non posse. Ex antiquis illis principiis inferebant Lovanienses illi, & inferunt hodie Jansenistæ, non esse possibilem statum puræ, aut integræ naturæ expositum num. superiori. Non enim agnoscunt possibilem rationalem naturam, quæ in statu elevationis non sit. Secunda sententia affirmat. Ita reliqui omnes Theologi ex S.S. P.P. Doctrina, ex rationibus Theologicis, atque constitutionibus Pontificiis.

57. **A**ffero cum secunda sententia. Status puræ naturæ sine elevatione ad finem supernum possibilis est, imò connaturalis ipsi naturæ. Probat 1. ex Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. inter alias propositiones relatas num. 390. de Pœnitentia, damnantium has Michaelis Bay propositiones 22. *Humana natura sublimatio, & exaltatio in consortium divine naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est: non supernaturalis. 25. A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiâ Philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus. 27. Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humane exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Ergo status elevationis non est juxta debitum, sed supra*